

tribuat pecuniam: vel potest incuti ob alium finem, ut si pater ob violentiam suae filiae factam minetur mortem, & violator ad mortem vitandam promittat illam in uxorem ducere.

390. Actus proveniens à metu gravi intrinseco valet, & non rescinditur. Similiter valet, nec rescinditur actus factus metu, etiam gravi, & ab extrinseco proveniente, incussio tamen iuste, id est, ab habente jus incutiendi: v. g. si quis contrahat matrimonium metu accusationis, vel poenae incussio ab eo, qui potest iuste deferre ad Judicem; matrimonium validum erit; arg. L. 21. ff. de eo, quod metus caus. ibi: *Huius sibi metum ipsa infert.* Si metus gravis iniuste incutiatur, etiam illi incutiens, fidei, & sine animo exequendi, mortem v. g. minaretur, dum patiens metum serio credat, mortem esse sibi inferendam, attentio iure Naturae non reddit actum, ad quem metus infertur, invalidum, cum in eo non desit simpliciter voluntarium, & consensus. Metus verò levis, etiam iniuste incussus sit, non reddit actum invalidum, nec rescindibilem, nec metum passio datur actio in foro externo. L. 6. ff. de eo, quod metus caus. quod ob quietem publicam statutum est, ne Tribunalium litium frequentia obruantur: & ne foveantur lites, ac consequenter impediatur commercia. Sed cum talem metum inferens faciat injuriam, & iniustitiam, debet in conscientia satisfacere pro illa injuria, & rescindere actum, si metum passus velit, vel ipsum implere, si metum passus rescissionem nolit, ut sic res in pristinum statum restituitur, & redigatur ad aequalitatem. Et ad hoc est in conscientia obligatus metum inferens. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 9. n. 4. cum pluribus, contra alios varie sentientes apud ipsum ex n. 1. Imò & in foro externo taliter metum passio succurrit officio Judicis, & contractus rescinditur: quia non est æquum, Judicem permittere, ut metum inferens commodum ex sua culpa reportet; arg. L. fin. ff. de Extraord. crimin. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 9. n. 5. Gonz. in C. 1. b. t. n. 14.*

391. Actus extorti gravi metu iniusto non sunt ipso jure positivo nulli, nec irriti, sed tantum irritandi, & rescindendi per Judicem, proposita actione: *Quod metus causa*, etiam metus non ab ipso contrahente, sed ab alio tertio sit incussus. L. 14. §. 13. ff. de eo, quod metus caus. C. 15. de sponsal. Ita tenent Glos. in C. un. b. t. in 6. Gl. in L. 21. V. Ullam, ff. de eo, quod metus caus. Anton. Gonsalv. 3. cap. 4. Sanch.

de Matr. lib. 4. D. 8. n. 4. ubi plures citat. Gonz. in C. 1. b. t. n. 15. contra Solo de Just. & jur. lib. 8. q. 2. art. 7. Palacios de Contract. lib. 4. cap. 9. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 326. Fortum. & alios, qui dicunt, actus metu gravi iniusto in totum esse nullos ipso jure. Et quidem nostra conclusio probatur ex C. 2. b. t. l. 1. l. 9. §. 3. l. 21. §. 5. ff. de eo, quod metus caus. L. fin. C. eod. §. 1. Instit. de Exemption. L. 56. tit. 5. p. 5. ibi: *Por miedo, ó por fuerza a comprando, ó vendiendo algun ome alguna cosa, non debe valer, ante decimos, que debe ser desfecha la compra. Et ibid. Greg. Lopez, V. Desfecha.* In quibus Textibus actus metu gesti, rescinditur, & cum certum sit, actus ipso jure nullos rescindi non posse. L. 5. ff. de iniusto rupt. legitime deducitur, tales actus non esse nullos, nec irritos ipso jure, imò & validos esse summo jure infertur: quia in ipsis nec voluntarium, nec iustus titulus deest, ac proinde jure naturali valent, & cum nullo jure positivo irritentur, etiam summo jure positivo valere dicendum est: ne jus positivum sine fundamento discordemus à jure naturali. Deinde: quia magis favorabile est metum passio, cujus favorem Leges spectant, si contractus, vel actus subsistat, quam si ipso jure esset nullus: sic enim ipse potest eligere, vel actum rescindere, quando ipsi fuerit damnosus, vel si utilis sit, poterit compellere inferentem metum, stare actui, & ipse ad hoc est obligatus in conscientia. Sed quia inspecto effectu idem est, quando actus rescinditur, ac quando nullus est: ideo actus metu gravi facti irriti solent appellari. L. 1. C. de Rescind. vendit. quod clarè patet ex L. 56. tit. 5. p. 5. Et hoc modo fit satis fundamentum præcipuo adversariorum.

392. Sunt tamen aliqui actus, qui ad sui valorem requirunt majorem libertatem, & spontaneitatem: ac proinde si metu gravi iniusto extorqueantur, sunt nulli ipso jure. Tales sunt matrimonium. C. 14. c. 15. de sponsalib. Constitutio procuratoris ad illud. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 12. n. 22.* quia ut accessorium sequitur naturam principalis. C. 42. de Reg. jur. in 6. promissio, & constitutio dotis. L. 21. §. 3. ff. de eo, quod metus caus. Sponsalia. C. 11. de Desponsat. impuber. *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 19. n. 3.* contra Enriq. & alios, promissio, & traditio rerum Ecclesiae, etiam juramento firmata. C. 2. de jur. jur. Testamentum, ad quod testes coguntur. L. 20. §. fin. ff. Qui Testament. facer. Absolutio à censura. C. un. b. t. in 6. Datio libertatis.

L. 9.

L. 9. ff. Qui, & à quib. electio Canonica. C. 14. de Election. collatio jurisdictionis, & ejus prerogatio. L. 2. ff. de Judic. factum à Tutore invito, vel per vim detento. L. 1. §. 1. ff. de Auctor. Tutor. Professio, vel vota religiosa, seu solemnia: quia non solum libertatem, sed spontaneitatem requirunt. C. 1. de Regular. ibi: *Spontanea voluntate.* C. 1. de Statu Regul. in 6. C. 1. b. t. ex quo, & idem de voto simplicis religionis tenet *Suar. de Voto, lib. 1. cap. 8.* Renuntiationem beneficij metu factam, esse ipso jure nullam tenet *Gonz. in C. 3. b. t.* cum alijs ex Cl. 2. de Penit. contra *Barbof. Garc. de Benef. p. 11. cap. 3.* & alios. Votum simplex gravi metu extortum, etiam ad hoc directè incussio, mero, & summo jure valet; licet relaxari possit, metu probato. *Suar. de Voto, lib. 1. cap. 8. à n. 4. Marin. de Voto, Disp. 1. sect. 15. n. 73.* Nam cum ex una parte tale votum sit voluntarium, & aliunde nullo jure positivo probetur irritum, ipso jure, valere dicendum est: nam text. in C. 1. b. t. loquitur de professione religiosa: & text. in C. 6. b. t. tantum à contrario sensu metus levis hoc posset inferre. Nec probat in voto, sicut non probat in juramento. Contrarium tamen tenet *Gonz. in C. 6. b. t. n. 10. citans Bonat. & alios.* Similiter juramentum licet metu gravi extorqueatur validum est, etiam jure positivo. C. 8. de Jur. jur. C. 2. c. 3. b. t. L. fin. tit. 11. p. 3. donec relaxetur: sed certe ratione metus facile relaxatur. C. 15. de Jur. jur. Quando verò relaxatum est, servari non debet: nec contractui robor, nec firmitatem præstat. *Suar. de Jurament. lib. 2. cap. 10. n. 4. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 20. Gonz. in C. 6. b. t. n. fin.* contra *Straph. Cabrer. & alios.* Et ratio est, quia juramentum, quod sine dispendio salutis aeternae, & sine alterius præjudicio potest impleri, servandum est. C. 28. de Jur. jur. Et hac ratione dicendum est, quod renuntiatio beneficij metu facta, juramento firmata, valet. C. 3. c. 4. b. t. donec juramentum relaxatur. Tunc enim renuntiatio nulla est. C. 2. b. t. *Gonz. in C. 4. b. t.* De quibus casibus late agunt *Gloss. in C. 2. b. t. V. Coactus.* *Gonz. in C. 1. b. t. ex n. 17. & alij.* Quando metus non est incussus ad extorquendum actum, sive proveniat à causa morali sive libera, & quamvis gravissimus sit, non reddit actum nullum, nec rescindibilem, sed firmus utique est, non obstante latè metu; arg. C. 17. de Regular. ubi valet votum factum metu mortis ab eo, qui morbo laborabat. Et

Tom. I.

ratio est, nam ille, qui actum facit ob metum, non impellitur ab alio ad talem actum, sed à se ipso; cum nullus tunc humilissimi actus exigat, sed voluntarie eligatur à metu passio, ut medium ad evadendum periculum animæ, vel corporis. Sic *Sanch. de Matr. lib. 4. D. 12. ex n. 3.* ubi plures casus particulares, & Doctores illos probantes asserit.

393. Si actus metu gestus est ipso jure nullus, probata nullitate, & declarata per Judicis sententiam, repetitur, ac restituitur quod datum, aut acceptum est. C. fin. b. t. Quando verò contractus, vel actus non est ipso jure nullus, sed est rescindendus: si metum passus jam traderet rem, & in illo actu est læsus, & damnum acceperit, & metus est gravis, ab extrinseco iniuste illatus, & præiens, tunc talis metum passus habet actionem: *quod metus causa*, qua coram Judice petit, contractum, vel actum rescindi, sibi que restitui suam rem cum fructibus ab inferente metum perceptis, & cum illis, quos ipse metum passus potuisset percipere, si non fuisset metus incussus: siquidem fuit causa talis damni. L. 12. ff. de eo, quod metus caus. quam quidem actionem etiam habet contra tertium possidentem, licet metum non intulisset. L. 14. §. 3. ff. de eo, quod metus caus. daturque hæc actio contra hæredes, quatenus ad eos pervenit, ne lucrum ex damno alieno consequantur. L. 9. §. fin. l. 14. §. In hac, ff. de eo, quod metus caus. Et quatenus rei persecutionem continet, datur hæredibus, ceterisque successoribus. L. 16. §. 2. ff. de eo, quod metus caus. Quod si res nondum sit tradita, & illam petat, qui metum intulit, repellendus est exceptione: *quod metus causa*, quia cuiusdam actiones, eadem, & exceptionem competere multo magis quæ dixerit. L. 150. ff. de Regul. jur. De quo late *Gonz. in C. 1. b. t. ex n. 21. Picard. in §. 27. Instit. de Actionib.*

## TIT. XLII.

## De in integrum Restitutione.

394. **R**estitutio est restitutio in pristinum statum, in quo res fuit ante lesionem. C. fin. 2. q. 2. L. 24. §. 4. ff. de Minor. l. 1. tit. 19. p. 6. ibi: *E que revoque el juicio, que fuisse dado contra él, é torne el pleyto en el estado, en que era ante que lo diesen.* Et quidem hæc restitutionis remedium potest proponi

Za

pea

per modum actionis, seu directè, vel etiam incidenter per modum exceptionis. Et pendente restitutionis causa omnia in eodem statu debent manere. *L. un. C. b. t. l. 2. tit. 25. p. 3.* Et illa obventa redintegrantur omnia, & reducuntur ad statum, in quo ante lesionem erant: qua quidem restitutio utrique litiganti est communis, lædenti scilicet, & læso, ut unus non ferat lucrum, nec alter damnum recipiat. *C. 1. b. t. l. 24. §. 4. ff. de Minor. l. 8. tit. 19. p. 6.* Hinc est quod minor læsus in venditione, si restituitur, debet reddere non solum pretium emptionis, quatenus in ejus utilitatem est versum. *L. 10. C. de Pradijs minor.* Sed etiam expensas necessarias, & utiles bona fide ab emptore factas cum laboris æstimatione, & melioramentis. *C. 1. b. t. Et quidem secundum pretium, quod habent tempore restitutionis, licet pluris valuissent, quando fuerunt facta, non tamen tenetur restituere expensas voluntarias. L. 32. §. 5. ff. de Administr. Tutor.* Nec tenetur reddere mutuanti pecuniam mutuo acceptas, quas ipse minor inutiliter prodegit. *L. 27. §. 1. ff. de Minor. nec pretium acceptum ex venditione, si fuerit consumptum, quin minor sit locupletior factus. Quando minor donavit aliquid prædium, vel lucrosam hereditatem repudiavit, vel ex alio contractu lucrativo fiat restitutus: tunc deductis expensis, debent cum re simul fructus restitui, siquidem non solum in re, sed & in fructibus fuit minor læsus. L. 24. §. 4. l. 27. §. 1. ff. de Minor.* Si vero per venditionem, vel alium contractum onerosum aliquid alienavit minor, ex quo læsio resulter, si hæc contingat ex pretij inæqualitate fructus restituendi sunt juxta proportionem pretij diminuti, quia hoc modo fuit læsus. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* Si vero læsio proveniat ex eo, quod rem illam alienari non expedit: v. g. si alienavit primogenitum, vel Castum Gentilitium, sufficit restituere rem sine fructibus, quia pretium loco rei substitutum poterat tribuere lucrum fructibus correspondens; quod si ita factum non est, sibi hoc imputet minor. *Molina de Just. & Jur. tr. 2. D. 575. n. 6. Lessius, eod. lib. 6. cap. 17. ex n. 70.* contra alios aliter sentientes.

395 Hoc ergo remedium extraordinarium datur, quando ex facto, vel contractu minoris resultat læsio saltem mediocris in ipsius præjudicium. Nec enim sufficit quælibet modica læsio, ut hoc remedium detur: tum quia de modicis non

curat Prætor. *L. 4. ff. b. t.* tum quia dederet homines, ne contraherent cum minoribus, quod in magnum ipsorum detrimentum cederet. *L. 24. §. 1. ff. de Minor.* Nec requiritur ad hoc remedium decernendum, quod læsio sit enormis, alias nullus favor minoribus fieret. *Menoch. de Arbitrar. cas. 74. n. 4. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 573. n. 9.* necesse tamen est, quod læsio, qua hoc remedio indigeat, sit sufficienter probata, vel manifeste de ea constet. *L. 24. ff. de Minor.* Et quidem coram judice competente, præsentè adversario, nisi contumaciter ablit. *L. 5. b. t. citatione, & litis contestatione premisis. C. 2. b. t. l. 47. ff. de Minor.* Et quod læsio, vel aliqua culpa adversarij, vel facilitate læsi, vel negligentia Procuratoris, seu Administratoris coningerit. Nec sufficit, si casu fortuito læsio accidit: *Nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas. L. 11. §. 4. ff. de Minor.* Insuper requiritur ad restitutionem discernendam, quod negotium sit Civile: nam in Criminalibus restitutio non datur: quia malorum mores non debet fovere restitutionis remedium. *L. 1. C. Si adversus delicti.* Et certe actus, vel contractus debet esse validus, ut adversus illum petatur restitutio: Si enim est nullus; v. g. quia sine Curatore est celebratus, tunc competit remedium ordinarium nullitatis, nec habet locum restitutionis remedium. *L. 1. tit. 25. p. 3.* tum quia est restitutorium, quod supponit actum validum: tum quia est extraordinarium, quod non datur habenti remedium ordinarium, nisi sit pinguis illo. *L. 16. §. 3. ff. de Minor.* Debet etiam actus esse rescindibilis, ut emptio, & venditio: si enim irrescindibilis est, ut matrimonium, ordinum susceptio, & professio religiosa, non habet locum restitutio. *Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 6. & 8.* in his causis spiritualibus minor habetur tamquam si major esse. *C. fin. de Judic. in 6. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 37. n. 21.*

396 Minor læsus in quantitate pretij non solum potest petere supplementum pretij, sed etiam rescissionem contractus. Sic *Gonzal. in C. 1. b. t. n. 13. & alij ex C. 1. b. t.* ubi possessiones Ecclesiæ concessæ sub modico censu ad jus, & proprietatem illius jubentur redire. *L. 27. §. 1. ff. de Minor.* quia restitutio reponit rem in statu, quem ante lesionem habebat. Quod si læsio sit ultra dimidium justij pretij, non solum competit remedium. *L. 2. C. de Rescind. vendit.* sed etiam restitutio

in integrum, si læsus ea velit uti: quia per *L. 2. de Rescind. vendit.* solum petitur alternativè vel rescisso contractus, vel pretij supplementum, & electio est penes reum. At verò per restitutionem determinatè peti potest rescissio contractus, si ita velit læsus, & apud ipsum electio est. Deinde: quia difficile est probare lesionem ultra dimidium, & ad restitutionem sufficit lesionem gravem probare, ac proinde hoc restitutionis remedium, ut pinguis in hac parte, licet extraordinarium sit, non excluditur per remedium ordinarium, *d. L. 2. C. de Rescind. vendit.* Datur ergo restitutio adversus venditionem prædij majorum suorum, si minor est læsus in retractu omisso. *C. 8. b. t.* adversus locationem, aliolque contractus onerosos, etiam adversus transactionem, compromissum, donationem irrevocabilem, etiam remunerationis causâ factam, causæ tamen profanæ, secus causæ piæ. Etiam datur adversus solutionem, si non est Decreto Judicis firmata. *L. 32. §. 4. ff. de Administr. Tutor.* Etiam adversus aditionem hereditatis damnosæ, & lucrosæ repudiationem: adversus sententiam latam omnia probatione, vel defensione. *C. 2. c. 3. b. t.* etiam si à Papa sit sententia lata, si restitutio petatur prætextu erroris proprii. *C. 5. b. t.* Etiam adversus appellationis fatalia, ulucapionem, confessionem propriam, si minor non est legitime interrogatus, vel etiam si legitime interrogatus sit, si confessus est crimen fallum: secus est, si legitime interrogatus confessus est veram crimen. *L. 37. §. 1. ff. de Minor. l. 4. tit. 19. p. 6.* Etiam datur adversus tres sententias conformes, si petatur restitutio prætextu imprudentiæ, & imbecillitatis ætatis, secus si prætextu injulitiæ. *Covar. Praef. cap. 25. n. 7. Menoch. de Arbitr. cas. 9. n. 3.* etiam adversus adoptionem, vel arrogationem, si bona minoris statè administrentur; vel si ipse minor præter moribus inbuatur. *L. 3. §. 6. ff. de Minor. l. 5. tit. 19. p. 6.* Restitutio etiam conceditur adversus lapsum quinquennij, in quo etiam major non reclamavit adversus suam professionem ratione ignorantie, vel alterius impedimenti. *Barbol. de Offic. Episc. alleg. 104. n. 18. Saneb. de Matr. lib. 7. D. 37. n. 22.* contra *Cecall. Com. q. 500.* Et licet *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 19.* hoc videatur negare, loquitur solum de Actione ordinaria, quæ non debet intendi elapso quinquennio. Secus est de remedio extraordinario, quale est restitutio, de qua in

presenti. De quibus omnibus agitur in *L. 5. & seqq. tit. 19. p. 6. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 573. Gonz. in C. 1. b. t. n. 10.* Si restitutio conceditur, non potest iterum ipsa neque coram Judice delegante, neque coram alio peti. *L. 1. C. Si sapius,* quod si postea novæ emergunt defensiones, potest concedi. *C. fin. b. t.* Idem est, si minor omisit appellare à sententia denegationis restitutionis; nam tunc potest concedi restitutio ad appellandum contra talem sententiam. *C. fin. b. t. l. 6. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. Deinde in l. 5. tit. 5. lib. 4. R. C.* sic habetur: *Ordennamos, y mandamos, que si por parte de los menores, ò de qualquier persona, ò Universidad, que de Derecho pueda pedir restitucion in integrum, se pidieren restitucion en la primera instancia para poner sus excepciones nuevas, que una vez tan solamente le sea otorgada la restitucion: con tanto, que la pidan antes de la conclusion para definitiva, y que por la misma sentencia le sea denegada otra restitucion. Et ibid. Arceved. & præcipue in l. 3. tit. 8. lib. 4. R. C.* Quando post venditionem, vel locationem celebratam, & perfectam, justo pretio, & debitis solemnitatibus, alius majus pretium offerat minori, qui rem vendidit, non debet restitui: quia tunc non datur læsio: secus si celebrata fuit sine debitis solemnitatibus, & non justo pretio; etiam in publica subhastatione. *C. 8. b. t. l. 7. §. 8. ff. de Minor. l. 5. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. Molin. de Just. tr. 2. D. 575. n. 9. Less. lib. 2. cap. 17. n. 69.*

397 Restitutionis beneficio gaudent. 1. Minores, qui 25. annos ætatis nondum impleverunt. *L. 3. §. 3. ff. de Minor. l. 2. tit. 19. p. 6.* etiam si Clerici sint, & beneficio Ecclesiastico renuntiaverunt, & etiam si beneficium alteri jam sit collatum. *Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 573. n. 16.* contra aliquos. Et ratio est: quia fragile, & infirmum est hujus ætatis consilium, & multis captiosis obnoxium, expolitumque multorum insidijs, & ideo facile sibi nocere graviter possent in bonis suis, tum propria imperitia, tum aliorum malicia, aut negligentia. *L. 1. ff. de Minor. l. 7. tit. 19. p. 6.* 2. Hoc gaudet beneficio Ecclesiæ ob favorem publicum, & quia eorum bona aliena industria curantur. *C. 1. c. 3. b. t. c. 1. eod. in 6. L. 35. C. de Episcop. & Cleric. nomine Ecclesiarum veniunt in presenti, etiam Ecclesiæ inchoate, Monasteria, loca Religiosa, Congregationes, Confraternitates, & quæcumque pia loca, & hospitalia, dum tamen Episcopi autho-*

titate erecta sint. 3. Clerici in bonis, & juribus suorum beneficiorum: quia hæc magis ad Ecclesiam, quam ad Clericos pertinent: secus est in bonis patrimonialibus. 4. Reipublicæ, & oppida eodem beneficio funguntur. L. 4. C. Quibus ex causis. *Gonz. in c. 1. b. t. n. II. contra aliquos.* Et clarè habetur in l. fin. tit. 19. p. 6. ubi: *Porque los bienes de las Iglesias, è de los Reyes, è de los concejos se pierden, è se menoscaban por culpa de los que los han à procurar, è por engaño de los otros: E por ende fue establecido antiguamente, que tales bienes ayan aquel privilegio, è aquella mejoría, que han las cosas de los Menores de veinte è cinco años. Et ibid. Greg. Lop. V. Concejos. 5.* Idem obtinet privilegium Princeps Supremus, non quidem quoad bona illius propria, sed quoad bona Principatus, coronarum, aut fisci. L. fin. tit. 19. p. 6. Et ibid. Greg. Lop. V. Reyes Hoc tamen privilegium, quod prædictis conceditur ad minorum exemplum est aliquo modo reale: Siquidem non præcisè conceditur ratione personarum, sed ratione damni, quod minor, vel Ecclesia patitur in bonis, & juribus suis; ac proinde etiam competit heredibus minorum, qui illos repræsentant, etiam si hæredes majores sint: ita ut intra tempus, quo minor possit, possint, & ejus hæredes restitutionem petere. L. 18. §. fin. ff. de Minor. l. 8. tit. 19. p. 6. sicut privilegium S. C. Vellejani concessum mulieribus indejumentibus, transit ad ipsarum hæredes. L. 20. C. ad S. C. Veljejan. regulariter tamen hoc restitutionis beneficium non competit fidejussoribus minorum. L. 1. C. de Fidejuss. minor. L. 5. tit. 19. p. 6. Cum enim fidejussor sit major, cautius prospicere sibi debuit, nec ita facile spondere debebat: Nec minor tenetur fidejussori actione mandati pro eo, quod solvit. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 573.* si non privilegiatus sit Socius, vel consors litis privilegiati, & res est dividua, hoc est, dividi potest, v. gr. debitum centum aureorum, restituitur privilegiati non prodest Socio non privilegiato: proderit tamen, si causa, vel res sit individua, quæ scilicet, dividi nequeat. *Arg. L. 10. ff. Quædammod. servit.* Tunc enim extenditur privilegium ob privilegiatum ad non privilegiatum, ne alias inutiliter privilegium concessum videatur. *Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 31. Aylon. in Adit. ad Gom. contra ipsum, Gonz. 2. Var. cap. 14. num. 10.*

398 Minores, & qui eorum privilegio gaudent restitui possunt, si læsi sunt, &

de eo constet, ex officio Judicis, etiam si pars restitutionem non petat, vel etiam implorato Judicis officio. L. 24. §. fin. ff. de Minor. possuntque hoc remedio uti quamvis aliud remedium habeant. Quod si Tutore, vel Curatore interveniente læsi sunt, in eorum electione est, contra Tutorem, vel Curatorem experiri actione Tutelæ, vel Curatelæ; vel restitutionem petere. Majoribus quandoque conceditur restituitio; non tamen ex officio Judicis, sed ad instantiam partis, & quando alio remedio carent, nec Procuratorem, contra quem agant, reliquerunt: non tamen sufficit ipsis probare læsionem, sed requiritur iusta causa ad talem restitutionem concedendam. Justæ causæ sunt: si quis fuit læsus, cum causa Reipublicæ abiens erat, vel per justum metum, vel infirmitatem, vel violentam detentionem abfuit: vel si miles sit, vel persona, in qua juris ignorantia toleratur, ut rullici vel mulieres, vel quando quis ex necessitate, non ex voluntate agere non potest, vel denique quando alia iusta causa ad restitutionem sublit. L. 1. C. seqq. ff. Ex quibus causis. Major. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 574. n. fin.* Sed non restituitur major adversus præscriptionem ex eo, quod invencibiliter, & juste ignoret, rem suam præscribi. Ut contra *Bartol. & alios tenent Fachin. lib. 1. Controv. cap. 69. C. & alij.* Ex c. 6. de Prescription. l. fin. C. de Fideiuss. patrimon. lib. 11. in quibus quadragenaria præscriptio omnem actionem, molestiam, & inquietudinem, ac proinde restitutionem in integrum excludit. Deinde: quia alias rarissime locum haberet ulucapio, si admitteretur talis restituitio: & ex præscriptione, quæ ad conspiciendas lites est introducta novæ lites quotidie exurgerent, & ex ipsis remedijs nova damna orirentur.

399 Minores non gaudent restitutione. 1. Adversus professionem religiofam validam, nec adversus ordinationem valide factam, nec adversus matrimonium: quia hæc ex sua natura rescindi nequeunt: ac proinde non potest restituitio fieri: bene tamen conceditur adversus læsionem in dote, vel in alijs rebus acceptam. l. un. C. Si adversus dotem. 2. Si minor aliquid dolo malo in contractibus gessit: Quia malorum mores infirmitas animi non excusat. L. 1. C. Si advers. delict. 3. Si veniam ætatis impetrarunt. L. 1. C. de His, qui ven. Ne hi, qui cum eis contrahunt principali auctoritate circumscripti esse videtur. Hæc quidem venia masculis 20.

fœmi-

fœminis 18. ætatis anno completo concedi solet. L. 2. C. de His, qui veniam. Et licet hæc veniam impetrans non possit bona immobilia alienare sine Judicis Decreto usque ad 25. annum completum: ac proinde talia alienans sine Decreto Judicis, cum contractus sit nullus, restitutione non indigeat: si tamen cum Judicis Decreto alienet, non gaudet restitutionis beneficio. *Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 4. 4.* Si quando sunt majores ratum habeant, quod cum essent minores, fecerunt. L. 1. l. 2. C. Si major fact. 5. Si dolo se simulent majores; quia errantibus, non tamen fallentibus minoribus publica jura subveniunt. L. 2. C. Si minor se maj. l. 6. tit. 19. p. 6. 6. Si minor cum pubes jam sit, contractum juravit. C. 28. de Jur. jur. l. 6. tit. 19. p. 6. 7. Si huic restitutionis beneficio, ut in ipsorum favorem inducto, juramento renuntiarunt. L. 29. C. de Pæniis. 8. Si casu fortuito, v. g. incendio rei empta læsus est minor postquam contractum prudenter gessit: quia non evenit damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas. L. 11. §. 4. ff. de Minor. 9. Contra sententiam, quæ pro libertate servi fuit contra minorem lata, hic non restituitur. L. 6. tit. 19. p. 6. 10. Si minor 25. annis, major tamen 20. fe vendat ad pretium participandum: tunc enim non conceditur restituitio in integrum. L. 9. §. 4. ff. de Minor. 11. Nec contra solutionem minori factam Decreto Judicis. §. 2. Instit. quibus alienare licet. L. 4. tit. 14. p. 5. *Molin. de Just. tr. 2. D. 224. n. 35. Gomez Var. 2. cap. 14. n. 4.* Denique minor litteratus, seu Doctõr non restituitur, si in puncto juris sit læsus, & deceptus, secus est, si læsus sit in patrimonij administratione. Et sic possunt concordari DD. absolute sentientes cum *Gonz. in c. 1. b. t. n. 10.* restitutione ipsam gaudere. Et DD. hoc absolute negantes cum *Gom. 2. Var. cap. 14. n. 15.* Minor adversus minorem, & Ecclesia adversus aliam Ecclesiam adhuc privilegio restitutionis gaudet, si unus minor, & Ecclesia sit lædens, & alter minor, vel Ecclesia sit læsa. C. 3. b. t. l. 11. §. 6. ff. de Minor. Nam licet privilegiatus non gaudeat privilegio contra pariter privilegiatum quando utriusque conditio par est. L. 12. C. Qui potiores, quando scilicet, uterque est læsus, & ageret de damno vitando: v. g. si Titius minor Sejo minori pecuniam mutuum dedisset, & hic prodigè eam absumpisset, non daretur Titio restituitio. L. 11. §. 6. ff. de Minor. Hæc tamen

perfecto datur, quando utriusque est dispar conditio, quando scilicet, alter lædit, alter læsus est, quando unus agit de captando lucro, alius verò de vitando damno. *Barbosa Axiom. jur. axiom. 190. num. 3.*

400. Cum restituitio in integrum fit actus mixti imperij, solum potest per coram judice habente, solum mixtum imperium. C. 9. b. t. l. 16. §. fin. ff. de Minor. junct. *Glof.* Et quidem competente, respectu ejus contra quem petitur. L. 2. C. Ubi, & apud quem. Sive sit comprehensio ratione domicilij, vel rei sitæ, vel contractus. *Covar. lib. 1. Var. cap. 4. n. 1. Molin. de Just. tr. 2. D. 573. n. 23.* nec interest, an iudex sit Ordinarius, an delegatus, si hoc specialiter sit ipsi commissum. L. 3. C. de Judicis. Clericus læsus in rebus patrimonialibus potest contra Laicum petere restitutionem coram Judice Sæculari: quia actor sequitur forum rei. C. 8. de For. compt. si verò Ecclesia in rebus suis sit à Laico læsa potest restitutionem petere vel coram Judice Sæculari, vel Ecclesiastico. C. 11. de Rebus Eccles. non alienand. Et quidem restituitio est pendenda coram eo iudice, qui contra minorem protulit sententiam, vel coram ejus Superiori. L. fin. tit. 25. p. 3. non tamen potest peti coram delegatis non habentibus administrationem, sed tantum facultatem judicandi, nec coram arbitris, nisi incidenter. C. 9. b. t. Arg. l. 3. C. de Judic. Et iudex debet pariter ad veram citare, ut sic cognita causa, restitutionem concedat, vel neget. L. 2. tit. 25. p. 3. l. 8. tit. 19. p. 6. Minor restitutionem petens duo debet probare: Et damnum accepisse in bonis suis, si in contractu, sive in sententia, sive quomodocumque; & se esse minorem 25. annis, cum illud accepit. L. 11. §. 3. ff. de Minor. l. 2. l. 5. l. 6. tit. 19. p. 6. sive sub Curatore, sive sine Curatore extiterit, & ejus auctoritate contraxerit; quinimo etiam si accedat Judicis Decretum adhuc restituatur minor, si læsus inveniat. L. 11. C. de Prædijis minor. l. 1. tit. 25. p. 3. Tunc minores damnum accepisse creduntur, quando ipsi, quod habuerunt amiserunt; aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserunt, aut se oneri, quod non suscipere licuit, obligaverunt. L. 44. ff. de Minor. Potest minor læsus non solum per se, sed etiam per Procuratorem restitutionem petere: debet tamen Procurator habere ad hoc, speciale mandatum. C. 7. b. t. Qui verò habent administrationem

le-

legitimam bonorum minorum, Ecclesiarum, vel Civitatum sipe alio mandato possint restitutionem petere, cum ex munere proprio illis administratio incumbat. Tales sunt Tutor, Curator, Prælati, Æconomus, Pater administrans bona adventitia filij. Non tamen admittuntur alij ad restitutionem petendam, etiam pro consanguineis nisi cum speciali mandato. Minores debent restitutionem petere cum autoritate Curatorum. *L. 1. l. 2. C. Qui legitimi. l. 2. tit. 25. p. 3.* ibi: *Demandar pueden los guardadores entrega del juicio, que fuesse dado contra los Menores, o ellos mismos, estando sus guardadores delante. Esso mismo puede fier su personero aviendo señalado mandado para esso.*

401 Antiquitus restitutio erat petenda intra annum utilem, nunc autem intra quadriennium petenda est: quod quidem currit diebus feriatis, & hac parte est continuum: non tamen currit iuste impedito, sed deducitur tempus impediti: & hac parte est utilis. *L. fin. C. de Tempor. in integr. restit.* Minor est namerandum tempus restitutionis ab anno 25. completo usque ad annum 29. completum. *L. 8. tit. 19. p. 6.* quod si veniam ætatis impetravit, numeratur quadriennium à die, quo hæc veria obtenta, & intimata ei fuit, nec restitui possunt minores elapso quadriennio, etiam ex justa causa. *Molin. de just. tr. 2. D. 574. n. 3.* Ecclesiæ, & Civitati incipit currere quadriennium à die læsionis factæ. *C. 1. c. 2. b. 1. in 6. Cl. un. b. 1. l. fin. tit. 19. p. 6.* & sufficit, quod intra quadriennium petatur restitutio, licet post plures annos concedatur. *C. 5. b. 1. Et ibid. Gonz. n. fin.* regulariter tamen debet intra quadriennium finire, & terminari causa restitutionis, nisi iusta subit causa. *Cl. un. b. 1.* Si læsio in alienatione fuit ultra dimidium iusti pretij, restituntur Ecclesia, Civitas, & Rex intra 30. annos computandos à die alienationis. *L. 9. tit. 19. p. 6.* potest etiam post quadriennium Ecclesia restitui, si fraude, aut dolo læsio facta sit, vel alia rationalis causa subit. *C. 1. b. 1. in 6. Molin. de just. tr. 2. D. 574. n. 3.* Et etiam adversus Prælati confessionem restituitur Ecclesia ultra quadriennium, iusto errore probato. *C. fin. b. 1. in 6.* ibi: *Ubi verò per viam communem revocationis erroris, quem in factio pretendit, vult adversus suam confessionem Ecclesia se juvare, hoc quandoquaque poterit, donec negotium sit finitum.* Majoribus computatur quadriennium à die, quo cessat causa abientia,

vel alterius impedimenti. *Glof. in Cl. un. b. 1. V. A tempore.* nisi restitutio petatur ex causa metus, quæ actio uno anno finitur. *L. 14. §. 1. ff. de Eo, quod metus causi.* vel si ex dolo petatur: quæ finitur biennio continuo. *L. fin. C. de Dolo malo.* Quando verò nullum est iustum impedimentum, elapso quadriennio, cessat omnino restitutio, nec per modum exceptionis potest opponi; quia cum sit in potestate læsi restitutionem petere, non petendo censetur, huic privilegio in ejus favorem introducto, renuntiare. Nec habet locum regula. *Text. in l. 5. §. fin. ff. de Dol. mal. & met. except.* scilicet, quod ea, quæ temporalia sunt ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum. *Gonzal. in c. 1. b. 1. n. 9.* ob rationem dictam.

402 Quando Ecclesia, Civitas, vel Universitas, vel minor læsionem patiuntur sine culpa Prælati, Procuratoris, vel Curatoris, solum possunt restitutionem in integrum intendere, nullam tamen habent actionem contra Prælatum, vel Procuratorem, vel Curatorem, quia nulla in eis datur culpa. *L. 47. ff. de Minor.* Si verò hæc detur, possunt Ecclesia, Civitas, & Minor intentare alternativè, vel restitutionem, vel actionem contra Prælatum, Procuratorem, vel Curatorem, quod si ex una via obtinuerunt, non possunt petere ex alia. *L. 39. §. 1. ff. de Minor. l. 2. tit. 19. p. 6.* si culpa Procuratoris provenisset læsio, contra ipsam determinatè agitur, & solum, quando solvendo non est, petitur restitutio. *Molin. de just. tr. 2. D. 573. n. 5. Greg. Lop. in l. 2. tit. 19. p. 6. V. De su guardador.*

## TIT. XLII.

## De Alienatione judicij mutandi causa.

403 **Q**uoties in judicij realis alienata, vel cessa est res, vel in judicij personalibus alienata, vel cessa est actio ad rem, de qua timetur movenda lis, si per talem alienationem, vel cessionem fiat deterior conditio debitoris, quia alienatio facta est in alium potentioiorem, vel cavillosam, vel in hominem alterius Provincie, vel in Clericum, vel mutationem fori: & talis alienatio fiat animo dolo, & intentione, ut conditio actoris, vel petitoris fiat durior: & re ipsa ejus conditio ob qualitatem

tatem adversarij substituti fiat deterior: tunc potest læsus, cujus interest, intentare actionem Prætoriam in factum adversus alienantem, ad id, quanti nostra interest, non habere alium adversarium: & ad refectionem impensarum, aliaque damna. *L. 1. & seqq. ff. b. 1. l. 30. tit. 2. p. 3.* Siquidem alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. *L. 74. ff. de Reg. jur. C. 33. eod. in 6. Gonz. in C. 2. b. 1. n. 8.* Etiam datur actio in rem, quæ utilis rei vindicatio dicitur. *L. un. c. b. 1. & competit læso contra possessorem rei alienatæ; quin & adversus alienantem, qui dolo desijt possidere: quia qui dolo desijt possidere pro possessore habetur. L. 131. ff. de Reg. jur.* Utraque actio, cum sit rei persecutoria, competit hæredibus læsi. *L. 4. §. fin. ff. b. 1.* Sed quia videtur provenire ex delicto, non competit contra hæredes alienantis, nisi quatenus ad eos pervenit. *L. 7. ff. b. 1.* At verò de Jure Canonico in *C. 1. b. 1. Is*, in quem facta est alienatio rei causa mutandi judicij, convenitur per rescriptum impetratum contra alienantem, etiam si illius nulla fiat mentio in rescripto. Et in *C. 2. b. 1.* sub censura prohibetur Clericis has alienationes, vel cessiones facere. Quæ omnia comprobantur ex *L. 30. tit. 2. p. 3.* ibi: *Otrofí decimos, que si alguno, temiendo que le demandar en juicio alguna cosa que tiene, la enagenare a otro mas poderoso, que si, o que sea de otro fuero, por hacer mas trabajar al que entiendo que le quiere mover pleyto sobre ella, que puede el demandador demandar al que la tuviere. Otrofí puede demandar al que la enagenò quanto daño le vino por razon de aquel enagenamiento: pero si non quisiere hacer la demanda à aquel que tiene la cosa, bien puede demandar la valia de ella à aquel que la enagenò. Mas despues que este precio, que diximos, llevara del enagenador, non puede despues demandar al que la cosa tiene. L. 15. tit. 7. p. 3.*

404 Nomine alienationis venit in præsentem omnis actus, per quem in alium transfertur dominium rei, sive ex titulo oneroso, sive ex titulo lucrativo. *L. 1. C. de Fund. total.* vel etiam si transferatur tantum possessio, v. g. si quis rem alienam vendat, locus est huic Edicto. *L. 8. §. 2. ff. b. 1.* Etiam extenditur ad manumissionem servi, ad servitutes tam reales, quam personales, & alia hujusmodi. *Gonz. in C. 2. b. 1. n. 11.* Si quando res alienatur, lis jam est mota, talis alienatio est ipso jure nulla. *L. 2. C. de Litigio.* ac proinde non est necessaria hæc actio. *Gonz. in C. 2. b.*

*t. n. 10.* Nec iridem habet locum hoc remedium. 1. Si res, de qua lis timetur, non alienetur per contractum inter vivos, sed per ultimam voluntatem. 2. Si non judicij mutandi, sed ex alia causa alienetur, v. g. ad fugiendas lites molestias, vel ob debita solvenda, vel ob infirmitatem, vel senium, &c. *L. 4. §. 3. ff. b. 1. t. 3.* Si quis non alienavit rem, sed tantum eam locavit, commodavit, vel depositit. 4. Si alienatio non fuit dolo malo facta. 5. Si nihil interit petitoris, rem esse alienatam.

## TIT. XLIII.

## De Arbitris.

405 **A**rbitri ab arbitrando, seu existimando, dicitur, & licet aliquando hoc nomine vocetur Judex, præcipue in actionibus bonæ fidei, ut probat *Gonz. in C. 1. b. 1. ex 1. 8.* in præsentem tamen arbitri ille dicitur, qui cum Judex non sit, eligitur, ut circa rem aliquam controversiam suum judicium proferat, suoque judicio, vel sententia controversiam dirimat, ut sic lites expensis parcat, & sine publico judiciorum strepitu quieti, & paci consulatur. *L. 4. tit. 2. l. 4. R. G.* Arbitri jure partiarum dicuntur *Avenidores, o Jueces de Avenencia.* Arbitri ergo alius est juris, alius compromissarius. Arbitri juris, qui & necessarius dicitur, quia potest compelli ad hoc munus suscipiendum, est ille, qui ex juris dispositione assumitur: ut accidit in casu, quo Judex est suspectus. *C. 39. de Offic. Deleg.* & quando diversi Judices super revocatione rescriptorum discordant. *C. 14. de Rescript.* Arbitri juris magnam cum Judicibus affinitatem habent, gaudenque quadam jurisdictione, quasi media inter ordinariam, & delegatam, possuntque partes citare, examinare testes, lites contestationem, & juramentum calumniæ, aliaque hujusmodi exigere, & facere. *C. 39. de Offic. Deleg. Et ibid. Glof. V. Apud quos omnia. L. 23. tit. 4. p. 3.* & reconventionem possunt admittere, si non sunt electi ad terminatum articulum; arg. *C. 1. de Metnis petit. Compromissarius*, qui & voluntarius dicitur, quia non tenetur communis suscipere, est ille, qui ex conventionione partium eligitur, ut rem determinet. *C. 1. c. 7. b. 1.* Et hinc compromissum, & arbitrium pro eodem sumuntur. *L. 1. ff. de Recept. qui arbitri.* Ex his tamen arbitris alij assumuntur, ut rem determinent ser-

vato ordine iudiciario, citando partes, examinando testes, &c. tamquam si Judices essent. *L. 23. tit. 4. p. 3.* Et hi *in ff. de Cod. arbitri recepti* vocantur, quia ex recepto, id est, ex Compromisso eliguntur ad controversiam dirimendam. *L. 14. C. de Judic.* Alij assumuntur à partibus, ut controversiam dirimant, ordine iudiciario non servato, & dicuntur *arbitratores, vel amicabilee compositores.* *L. 23. tit. 4. p. 3. l. 4. tit. 21. lib. 4. R. C.* Quamvis hi antiquitus potius ad negotia extrajudicialia, quam ad lites dirimendas constituerentur. *Gonz. in C. 1. b. t. n. 14.* Et licet à principio nullus compellatur compromissum acceptare, post ipsum tamen susceptum, illud adimplere tenetur, & ad hoc potest à Judice ordinario compelli. *L. 3. §. 1. ff. b. t. l. 29. tit. 4. p. 3.* nisi aliqua legitima causa ad illud repudiandum superveniat: qualis est infirmitas, absentia, occupatio propriorum negotiorum, munus publicum, inimicitia capitalis inter litigantes, & compromissarium orta. Vel si Judex fiat rei, super qua est factum compromissum, vel si litigatores arbitrium infamarunt, vel si ejus spreta auctoritate litigatores, ad Judicem ordinarium, vel ad alium arbitrum accesserunt, vel si alia similis causa subsit. *L. 9. l. 10. l. 15. l. 16. ff. b. t. l. 30. tit. 4. p. 3.* Sanè compromissum fieri potest voce, vel nutu, inter presentes; vel per Epistolam, aut nuntium inter absentes: potestque fieri pacto nudo, vel stipulatione, vel juramento, vel sine eo, vel adjecta poena, vel sine illa.

406 Arbitrator compromissarius differt à Judice, quia ipse jurisdictionem non habet, cum à compromittentibus constituitur, qui, ut privati, nequeunt jurisdictionem dare. *L. 3. C. de Jurisd.* nec proprie potest citare partes, nec testes ad testimonium dicendum compellere, nec partes coercere: nec Procurator coram arbitro litigans tenetur cavere, Dominum rem ratam habiturum, cum possit non stare sententiae solvendo poenam. *L. 32. §. 20. ff. b. t. nec valet sententiam altera parte absente proferre.* *L. 27. tit. 4. p. 3.* nec sententiam à se latam exequi: nec ex tali sententia oritur actio, vel exceptio rei judicatae, sed tantum poenae petitio. *L. 2. C. b. t. nec potest causam delegare, nec ab ipso appellatur.* *L. 1. C. b. t. nec ejus sententia in causa furti, vel injuriae, vel alijs hujusmodi criminibus infamat condemnatum.* *L. 13. §. 5. ff. de his, qui notantur.* Quae omnia secus se habent in Judice, qui cum publica jurisdictione gaudeat, potest

partem multare, denegareque audientiam ob contumaciam, testes compellere, illosque punire, si fallum deponant, sententiam exequi, & alia ad suum munus necessaria facere potest. *Gonz. in C. 1. b. t. n. 10.* Arbitrator etiam in hoc, quod est jurisdictione carere, differt à Judice. Et ab arbitro in eo, quod nec ordinem iudiciarium debet sequi, sed de plano, partibus auditis, inquisitaque veritate per allegationes, & instrumenta, magis defacto, quam de jure litem dirimere debet, sententiam proferendo ex bono, & aequo prout voluerit juxta suum iudicium, & conscientiam. *L. 23. tit. 4. p. 3.* potestque rem, de qua est controversia inter litigantes dividere; *arg. C. 2. de Presumption.* *§. 20. Inff. de Action.* vel etiam ipsam victoriam, ita ut omnes contenti maneant, & lis sopiatur, ut fecit Palamon inter Menalcam, & Damatam apud *Virg. Eclog. 3. Non nostrum inser vos tantas componere lites: & vitula tu dignus, & bic.* *L. 23. tit. 4. p. 3. ibi: La otra manera de Jueces de avenencia es, à que llaman en latin Arbitradores: que quiere tanto decir, como Alvedriadores, è comunales amigos, que son escogidos por avenencia de ambas las partes para avenir, è librar las contiensas, que ovieren entre si, en qualquier manera, que ellos tocieren por bien: è de avenirlas en qual manera quisieren.* Et *ibid. Greg. Lopez* notat: non enim ardetur, ut arbiter, ut pronuntiet secundum jus: sed pro bono pacis potest auferre de jure unius, & dare alteri: ut in *C. Cum essent, 21. de Præbend.*

407 Nemo potest compelli in arbitros compromittere. *C. 1. b. t. Princeps* tamen Supremus cogere subditum ad compromittendum potest in his, quae liberae ipsius dispositioni subsunt, & etiam Judex in causis valde difficultibus, & controversis, & quae sine scandalo vix possunt expediti. *Gonz. in C. 1. b. t. n. 3.* semel autem in arbitros facto compromisso, non potest causa coram Judice discuti invita altera parte: & hoc intendens repellitur exceptione arbitri pendens, & poena adversus eum committenda. *L. 30. ff. b. t. Et regulariter omnes, & eodem modo, quo liberam administrationem suorum bonorum habent, possunt compromittere;* *arg. C. 5. b. t. l. 25. tit. 4. p. 3.* scilicet, patrum familias, & etiam filius in peculio Castrensi, vel quasi Castrensi: & minor, si curatore careat, laicus tamen restituitur. *L. 25. tit. 4. p. 3.* Prælati potest compromittere super rebus mobilibus non pretiosis, & quidem si per compromissum non alie-

alienet, sed retineat, etiam compromittere valet super rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis. Hinc à contrario, compromittere prohibentur furiosus, prodigus, servus, filius familias super peculio adventitio, vel profecticio, Tutores, & Curatores super rebus, quas nequeunt alienare sine debita solemnitate, Parochus, vel alius quicumque beneficiatus in praedictum Ecclesiae, vel beneficij, sine Episcopi consensu. *C. 3. b. t. Procurator sine speciali mandato.* *C. 9. b. t. Prælati, nisi adhibitis solemnitatibus ad alienandum necessarii, quando per compromissum potest perveniri ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum.* *C. 3. e. 5. b. t. Et ibid. Gonz. al. & alij contra Durand. & alios.* Vassallus sine licentia Domini, nec possessor primogenij, vel vinculi super rebus majoratus, cum non possit eas propria auctoritate alienare. Pupillus sine Tutoris auctoritate: quia ab illo non potest peti poena, nisi fidejussorem det, à quo poena petatur. *L. 35. ff. b. t. Minor Curatorem habens sine ejus auctoritate, & Judicis Decreto super rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis: & restituitur laicus, etiam si Curatore auctore compromiserit.* *L. 34. §. 1. ff. de Minor. l. 25. tit. 4. p. 3.*

408 Similiter omnes, qui specialiter non prohibentur, possunt esse arbitri; & quidem unus, vel plures, pares, vel impares. *C. 3. e. 12. b. t. l. 17. ff. de Recept. qui arbitri.* Judex proprius ordinarius, etiam de Jure Canonico arbiter potest esse. *C. 5. e. 7. e. 10. b. t. secus de Jure Civili.* *L. 4. ff. de Recept. qui arbitri.* & de Jure Hispano. *L. 24. tit. 4. p. 3. l. 9. tit. 6. lib. 3. R. C. & ibid. Acced. n. 4. Gonz. in C. 5. b. t. n. 3.* Etiam possunt arbitri esse filius familias, etiam in causa patris infamis, ingenuus, vel libertinus, privatus, vel constitutus in dignitate, vel officio publico. *L. 3. ff. de Recept. qui arbitri.* *Gonz. in C. 3. b. t. ex n. 8.* Et licet in numero pari possint eligi, expedit, quod in numero impari eligantur: quia cum homines valde faciles sint ad dissentendum; hoc modo inveniatur major pars in una sententia, quam in alia, & ejus arbitrio stabitur. *L. 17. §. 6. ff. de Recept. qui arbitri.* *C. 1. b. t. l. 29. tit. 4. p. 3.* nequeunt tamen arbitri esse furiosus, servus, pupillus, furcus, mutus, minor 20. annis. *L. 7. l. 9. l. 41. ff. de Recept. qui arbitri.* Et nullus in sua causa potest esse arbiter; sicut nec Judex. *L. 51. ff. de Recept. qui arbitri.* *l. 24. tit. 4.*

*p. 3.* Etiam prohibentur excommunicatus vitandus; *arg. C. 59. de Sent. excom.* Si tamen in ipsum partes compromiserint, & ipse pronuntiet, valet probabiliter laudum, seu sententia, cum non sit actus jurisdictionis. *Suar. de Confus. D. 16. sect. 1. n. 6. Muller. L. fin. C. b. t. nisi fit Regina, Ducissa, Abbatisa, vel alias jurisdictionem habens; nam tunc potest utique arbitra esse.* *C. 4. b. t. Molina de Just. tr. 5. D. 39. n. 4.* Religiosus sine Superioris licentia. Laicus in causa spiritali. *C. 8. b. t. potest tamen conjunctum in cum Clerico, cum licentia Judicis Ecclesiastici.* *C. 9. b. t. quia dignius trahit ad se minus dignum. Sed non omnes, qui esse arbitri prohibentur, sunt consequenter prohibiti; ut sint arbitratores, seu amicabilee compositores. Si quidem potest quis esse in sua causa arbiter.* *L. 24. tit. 4. p. 3. Et ibid. Greg. Lopez.* Deinde Religiosus potest esse arbitrator; *arg. C. 89. l. 9. 3. Gonz. in c. 8. b. t. n. 4. & Laicus in re spirituali.* *Bobad. Polit. lib. 2. cap. 18. n. 240.* & icemina potest arbitratrix esse; *arg. C. 4. b. t. Et ratio diffcriminis in his casibus est; quia arbitria ad formam iudiciorum sunt redacta; secus arbitramenta: & ideo illa strictiora sunt. Et hinc etiam provenit, quod arbitrator possit in die feriato sententiam proferre.* *L. 32. tit. 4. p. 3.* licet satius sit hoc non facere. Etiam de Jure Hispano Judex Ordinarius potest esse arbitrator. *L. 24. tit. 4. p. 3.*

409 Potest itidem compromissum fieri in omnibus causis non prohibitis, quin & in causa pendente coram Judice compromitti potest. *L. 24. tit. 4. p. 3.* prohibetur tamen compromissum fieri in causis matrimonialibus; ne matrimonia contra Sacrorum Canonum dispositionem concitentur; aut dissolvantur. *C. 9. de In integr. restit.* Etiam in beneficialibus, ne beneficia sine Canonica institutione adquirantur contra Text. in *C. 1. de Reg. jur. in 6.* idem est in causis liberalibus, in quibus de hominis libertate, ingenuitate, vel servitute agitur: nam haec causa ob suam gravitatem majores Judices postulant. Nec causa restitutionis in integrum cadit in compromissum; nisi incidenter tractetur. *C. 9. de In integr. restit.* *L. 24. tit. 4. p. 3.* nec causa exemptionis. *C. 5. b. t. Nec quae transijt in rem judicatam.* *C. 11. b. t. nisi forte ipsi renuntiet pars, in cujus favorem fuit lata sententia.* Et in casibus, quos asserit *Acced. in L. 4. tit. 21. lib. 4. R. C. ex n. 20.* Nec in compromissum veniunt Causae Criminales criminalis

tèr intèntate. C. 9. de la integr. restitut. quia crimina publica auctoritate condignè sunt vindicanda. Nec alia causè spectantes ad Regnum, Civitatem, vel communitatem, ne privatorum pactionibus jus publicum lædi contingat. L. 24. tit. 4. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. Molina de Just. tr. 5. D. 40.

410 Cum tota potestas arbitri ex compromisso pendeat. L. 32. §. 15. ff. de Recept. l. 23. tit. 4. p. 3. si ejus limites excedat nihil agit. L. 21. §. 6. ff. de Receptis, l. 26. tit. 4. p. 3. scilicet, respectu illius puncti, in quo excedit; secus respectu aliorum ab illo independentium; arg. C. 37. de Reg. jur. in 6. ubi dicitur, quod utile non debet per inutile vitari, ideo arbitri non potest sibi alium substituere, nisi hoc in compromisso sit concessum expresse: nec de causa reconventionis cognoscat, nisi in compromisso exprimat. C. 6. b. t. potest tamen arbitri ad unam causam electus, cognoscere de connexis cum ea, quæ quali intrinseca causa sunt; v. gr. de exceptionibus tam dilatorijs, quam peremptorijs: de interesse tam actoris, quam rei; arg. L. 11. ff. Judicium solvi. de fructibus rei L. 35. §. 1. ff. de Rei vindicat. l. 32. tit. 4. p. 3. de sumptibus litis. Gonz. C. 6. b. t. n. 4. & de alijs hujusmodi. In reliquis tamen fines mandati diligenter servabit. L. 5. ff. Mandat. Non tamen valet arbitrium, in quo arbitris præscribitur sententia necessario pronuntianda juxta id, quod alius tertius dixerit: nam sententia debet esse libera ipsius judicantis. L. 17. §. 3. ff. de Receptis. quamvis arbitri debeant in dubijs doctores consulere. L. 28. tit. 4. p. 3. Imò & aliquando tenentur alterius consilium exquirere: non tamen necessario illud sequi. C. 7. b. t. Si compromissum fiat nudo pacto, tunc in nostra sententia competit actio ad interesse Jure Canonico. C. 1. de Pænit. in Jure tamen Civili nec actio, nec exceptio ex tali compromisso datur. L. 2. ff. de Receptis, postea, verò, non solum exceptio reo, sed & actori actio in factum datur. L. 5. C. b. t. Etsi laudum (sic arbitrorum appellatur sententia, sicut sententia arbitratorum dicitur arbitramentum) sit homologatum, id est, si receptum sit, vel expresse, vel tacite per silentium decem dierum, oritur exceptio, & actio in factum, tanquam ex re iudicata, quæ exequenda est. C. 9. b. t. L. 24. l. fin. tit. 4. p. 3. Si in compromisso sit adjecta poena transgressori, potest compromittens recedere ab arbitri sen-

tentia, soluta poena. L. fin. tit. 4. p. 3. etiam si compromissum juratum sit: nam juramentum sequitur naturam actus cui accedit. C. 25. de jur. jur. C. 2. de Sponsal. Si sententia homologata sit expresse, debet stare compromittens sententiae: nam hoc elegisse censetur. Si sit adjecta clausula de rato manente compromisso, & arbitrio super eo lato, & ad sententiam, & ad poenam tenetur; arg. L. 16. ff. de Transact. Molin. de Just. tr. 5. D. 35. Si nulla adjecta poena in compromisso, apponatur juramentum de stando sententiae, partes compelluntur arbitrium servare. C. 2. b. t. idem est ex Jure Codicis. L. 4. C. b. t. secus de Jure Civili noviori. Auth. Decernit C. 604. Denique Jure Regio Hispano post varias Constitutiones, statutum est, ut arbitrorum sententia, non solum actionem producat, verum, & paratam habeat executionem, ita ut statim exequi debeat. L. 4. tit. 21. lib. 4. R. C. ille tamen qui executionem petit, debet fidei-juroribus datis cavere, se restitutum omnia in arbitrio comprehensa cum fructibus, si arbitrium non confirmetur à Superiori. L. 2. tit. 21. lib. 4. R. C. quæ cautio apud practicos dicitur: La fianza de la Ley de Toledo; ac proinde, si à tali sententia appelletur, illa appellatio solum effectum devolutivum, non vero suspensivum habebit.

411 Quando plures assumpti sunt arbitri de Jure Civili (quod in suo foro servandum est) omnium presentia ad laudem valorem requirunt. L. 17. §. fin. ff. de Receptis: nam potest presentia absentis alios in suam sententiam trahere: secus est, si adscilicet hæc clausula: Quod uno, vel altero absente, ceteri nihilominus procedere valeant, nam tunc laudem alijs absentibus, à presentibus pronuntiari valet. L. 32. §. 13. ff. de Recept. l. 32. tit. 4. p. 3. De Jure tamen Canonico, si major pars adsit, & reliqui requisiti, ex negligentia, vel malitia interesse noluerit, possunt presentes causam definire. C. 2. b. t. in 6. Et hoc in foro Ecclesiastico servandum est. Si ex tribus arbitris duos aliquem in decem, tertius in quinque comendat, sententia duorum prevalere debet: quando vero unus in 15. alius in 10. & tertius in 5. pronuntiant, prævalet sententia istius tertii, qui circa minorem summam pronuntiavit, cum in illa omnes concordæ existant. C. 1. b. t. in 6. quod si omnino arbitri dissentiant, ita, ut in nullo possint concordari, nullius sententia valet. Si arbitri utrimque numero pares dis-

sentiant non habent facultatem eligendi tertium, ne in ipso etiam eligendo dissentiant. C. 12. b. t. Sed Judex ipso compellet ut tertiam personam certam eligant, vel assument designatam à partibus coram ipsis litigantibus; ut ejus autoritate res terminetur. L. 17. §. 6. ff. de Recept. Et ab initio possunt ipsi litigantes aliquem tertium, pro casu discordiæ assignare. L. 26. tit. 4. p. 3. Gregor. Lop. ibid. Cum hodie arbitria ad similitudinem Judiciorum sint redacta. L. 1. ff. de Recept. arbitri debet tanquam Judex procedere. Hinc debet partes citare, & facere, quod lites utrimque contestetur; jubet præstare juramentum calumniae, & testes examinari, potestque contumaces non comparentes, punire. L. 39. ff. de Recept. l. 33. tit. 4. p. 3. nisi habeant legitimum impedimentum. Et utriusque partis probationes recipit. L. 23. tit. 4. p. 3. Causa, de qua est compromissum, terminanda est in loco, in quo est factum ipsum compromissum, si honestus, & decens sit, nec alius sit determinatus in compromisso assignatus; nam tunc in eo causa erit terminanda. L. 21. §. 6. ff. de Recept. l. 27. tit. 4. p. 3. potestque arbitri compromittentes citare, & evocare ex alieno Territorio: quod ex conventionem partium provenit. Non debet sententia in Ecclesia pronuntiari, quinimo laudum, vel sententia lata in Ecclesia non valet arg. C. 2. de immunitat. Eccles. in 6. nec lata in ferijs in Dei honorem inhibitis; arg. L. 3. C. de Ferijs. Imò nec sententia in ferijs Legalibus pronuntiata. L. 32. tit. 4. p. 3. Debet similiter arbitri sententiam ferre juxta Leges; jura, statuta, & consuetudines loci, nec aliter valet ejus sententia si dolo proferatur, & de hoc constat. C. 2. b. t. Nec potest sententiam semel, etiam male pronuntiatam, corrigere, cum jam sit suo functus officio. L. 19. §. 2. l. 20. ff. de Recept. Si arbitri proferat sententiam injustam, & reus contra quem est lata conveniatur actione ex stipulata ad solvendam poenam promissam, potest petentem repellere exceptione doli mali. L. 31. ff. de Recept. Si reus ultra dimidium justis pretij lædatur, potest agere ex remedio. L. 2. C. de Rescind. vendit.

412 Arbitrium varios effectus producit nam præscriptionem interruptit. l. 5. §. 1. C. b. t. acta coram arbitro retinent vim probandi in quolibet judicio inter eosdem compromittentes. L. 5. §. fin. C. b. t. & compromittentibus ex laudo, vel sententia arbitri competit actio, & ex-

ceptio, non qui dem judicati, sed in factum ex compromisso. \*L. 1. C. b. t. ipsi tenentur stare, & parere arbitri sententiæ. L. 27. §. 2. ff. de Recept. qui arbitri, ibi: Stari autem debet sententia arbitri, quam de re dixerit, sive æqua, sive iniqua fuit. Et sibi impulerit, qui compromisit: nam & Divi Pij rescripto adicitur: vel minus probabiliter sententiam æquo animo ferre debet. L. fin. tit. 4. p. 3. nisi sententia sit lata extra formam in compromisso præscriptam. C. 6. b. t. vel contra Leges aut Canones. C. 2. b. t. vel si dolo pronuntiata est. L. 3. C. b. t. vel si iniquitas est notoria: nam in his casibus non valet sententia. L. 34. tit. 4. p. 3. nec debet servari, si continet enormissimam læsionem, imò etiam tantum enormem læsionem, & circa dolum continet; juxta Molin. de Just. tr. 5. D. 30. ex C. 2. c. 3. b. t. l. 78. l. 79. ff. pro Socio: quos Textus intelligunt alij de sententia non homologata. L. 5. §. Sin autem, C. b. t. quæ post ad arbitrium boni viri reduci: secus de homologata: quia compromittentes videntur transigere, & delibere ab ulteriori cause prosecutione, & arbitri sententia acquiescere. L. 27. §. de Recept. qui arbitri sententiæ vero arbitratoris non tenentur stare pars læsa, quamvis læsio non sit enormitas: sed quoties apparet iniqua, potest usque ad 30. annos peti reductio ad arbitrium boni viri: quia partes solum censentur in arbitratorem consentire: quia credunt, ipsum recte arbitratum. L. 76. ff. pro Socio. Deinde sententia arbitri finem imponit liti, quod si injusta notorie sit, ultra exceptionem doli mali, & remedium, ex L. 2. C. de Rescind. vendit. ut jam diximus, potest insuper reus ab ipsa sententia appellare, etiam si compromissum sit juramento firmatum. Vel potest reductionem ad arbitrium boni viri petere: quod est quasi appellare, etiam si compromittentes jurassent, talem reductionem non petere: nam juramentum non debet esse vinculum iniquitatis; expedit tamen relaxationem petere. L. 24. tit. 4. p. 3. ibi: E librando de esta causa, valdrá lo que ficierse: è si cosa desconfessada mandasse, debese enderezar por alcaidrio de Omes buenos, è non serda tenuto el otro de fincar por ella: maguer el pleyto oviesse merido en su mano, è jurado de facer lo que el por bien oviesse. Nomine boni viri in presentia intelligitur Judex Ordinarius, coram quo agendum fuisset, si non esset compromissum. L. 23. tit. 4. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. N. Omnes buenos, cum enim talis re-

reductio non fit proprie appellatio, cum non precesserit actio iudicati non est ad Superiorem arbitri interponenda: sed est tantum quasi quadam provocatio ad Iudicem competentem, qui in tali casu esse ille, qui Iudex causa futurus erat, si lis in iudicio disceptaretur. Si sententia à qua est appellatum, vel petita reductio confirmetur, debet, qui succubuit, poenam solvere. *L. 38. ff. de Recept. si non confirmetur arbitrorum Sententia, non debetur poena. L. 13. tit. 26. lib. 8. R. C.* Quando igitur Iudex Ordinarius confirmat sententiam, à qua est appellatum, vel petita reductio, potest compromittens condemnatus appellare ad Iudicem Superiorem, vel ad Regiam Cancellariam, quod si ejus Senatores prima sententia confirmant sententiam arbitrorum, non admittitur appellatio, seu supplicatio à tali Cancellaria sententia. Si revocetur arbitrorum sententia, potest à sententia revocatoria Cancellaria, *Hispani: de Visita, appellari, seu supplicari: & tunc ultima sententia Cancellariae, Hispani: de Revista* executioni mandatur. *L. 4. tit. 21. lib. 4. R. C.* ibi: *Mandamos, que luego que la tal sententia arbitraria fuere dada, de que la Parte pidiere execucion, se execute libremente pareciendo, y presentandose el Compromisso, y Sentencia signada del Escribano publico, y pareciendo que fue dada dentro del termino del Compromisso, y sobre las cosas sobre que fue comprometido, y que la Parte sea satisfecha de aquello sobre que fue sentenciado en su favor, haciendo obligacion, y dando fianzas llanas, y abonadas ante el Juez, o Jueces, ante quien se pudiere, o oviere de executar la sententia de tornar, y restituir lo que ubiere recebido por virtud de la tal sententia con los frutos, y rentas, segun que fuere condenado, si la tal sententia fuere revocada: y si la otra Parte oviere reclamado, o reclamare, o pedido, o pidiere reduccion, y alvedrio de buen varon, o fecho, o ficriere de nulidad, o por otro remedio, o recurso alguno, si la tal sententia arbitraria fuere confirmada por el Presidente, y Oidores, que de la tal sententia confirmatoria no aya mas suplicacion, ni nulidad, ni otro remedio alguno: y si fuere confirmada no aya mas grado: y si fuere revocada por el Presidente, y Oidores, que de la tal sententia revocatoria se pueda suplicar para ante ellos mismos, quedando en su fuerza la execucion, hasta que se de sententia en revista.*

Si inter arbitros alius sit Laicus alius Clericus, appellatio, vel reductio petenda est coram Clerico Superiori: quia dignius trahit ad se minus dignum. Et protecto hæc appellatio, vel reductio interponi debet in Nostra Hispania intra quinque dies à die notificationis. *Arg. L. 1. tit. 18. lib. 4. R. C.* qua Lege corrigitur juxta alios. *L. fin. tit. 4. p. 3.* ubi decem dies conceduntur ad hanc reductionem petendam, & quamvis hoc neget. *accido in l. 4. tit. 21. lib. 4. R. C. n. 143.* tamen securius judicat interponere appellationem, seu reductionem intra quinque dies. Et idem dicendum de sententia arbitratorum. Et cum generaliter sit prohibita appellatio à sententia arbitratorum. *L. 27. §. 2. ff. de Recept. l. fin. tit. 4. p. 3.* ut admittatur talis appellatio, seu reductio debet inveniri gravis læsio, quæ juxta *Bartol.* erit sexta pars rei, de qua compromittitur. Et juxta alios hoc iudicis arbitrio relinquatur. *Hevia de Com. Terrestr. lib. 2. cap. 14.* ubi latè de his agit.

413 Arbitri officium finitur. 1. Sententia definitiva pronuntiatione: nam tunc jam suo officio functus censetur. *L. 19. §. 1. ff. de Recept. adeo, ut nec suam sententiam exequatur, sed ejus executionem Judici Ordinario relinquat. Arg. C. 4. de for. Compet. l. fin. tit. 4. p. 3.* 2. Lapsu temporis præfixi compromisso, nisi à partibus prorogetur, vel in compromisso hæc facultas arbitris concedatur. *L. 32. §. fin. ff. de Recept. l. 27. tit. 4. p. 3.* 3. Interitu, vel transactione, vel cessione rei, de qua erat arbitrium ferendum. *L. 32. §. 5. ff. de Recept. l. 28. tit. 4. p. 3.* 4. Si recedens à compromisso solvat poenam in eo positam transgressori, nisi adjecta sit clausula: *Rato manente compromisso. L. 34. §. 1. ff. de Recept. l. fin. tit. 4. p. 3.* Et ibid. *Greg. Lop. V. Peche* la pena. Nam tunc, etiam poena soluta, debet stare sententia. *Gonz. in c. 2. b. t. n. 23.* 5. Morte arbitri. *C. 50. de Testib.* etiam unius tantum, si sunt plures; nam censetur industria persona electa. *C. 42. de Offic. Delegat.* nisi sit adjecta clausula: *Si omnes non possunt, arbitretur reliqui, vel si res non sit integra, vel si sit compromissum in aliquam Universitatem, vel etiam in Prælatus sub nomine Dignitatis, secus est, si persona est electa. C. fin. §. 1. de Offic. Deleg. 6.* Arbitri deportatione, vel professione religiosa, vel diuturna absentia. *L. 28. tit. 4. p. 3.* vel reculatione, ob odium cum una, vel ob affinitatem cum alia parte. Et quidem arbitri

biter non potest recusari nisi ob causam ortam, vel notam post compromissum factum. *L. 15. ff. de Recept. l. 31. tit. 4. p. 3.* *Hevia de Com. Terrestr. lib. 2. cap. 14. n. 12.* 7. Morte compromittentium, vel unius tantum. *C. fin. b. t. nisi sit Universitas, quæ non moritur. L. 7. §. fin. ff. Quod cuiusq.* si Curator, vel Procurator compromiserunt, non illorum mors, sed Minoris, vel Domini mors est attendenda: nam horum gratia factum fuit com-

promissum. Si Prælatus compromissum super re, de qua potest solus disponere, ejus morte finitur compromissum: si de rebus Ecclesie adhibita solemnitate est factum compromissum, transit ad successorem. *Molin. de Just. tr. 5. D. 43. 8.* Mutuo compromittentium consensu: nam ab eorum voluntate ipsum accipit legem. *Arg. C. 81. de Reg. Jur. in 6.* idem dicendum est de officio arbitratoris, quod eisdem modis finitur.

## LIBER II. DECRETALIAM.

### TITUL. I.

#### DE JUDICIJS.



**J**udicium aliquando significat usum rationis. *L. 12. §. 2. ff. b. t.* aliquando ultimam voluntatem. *C. 4. de Sepultur. in 6.* aliquando actionem, condemnationem, sententiam, & jurisdictionem significat. In presenti tamen sumitur pro toto processu, qui coram Iudice competente fit. *Gl. in c. 12. de Reg. Jur. in 6. V. In Judicijs.* Et definitur ex *L. 9. l. 13. C. b. t. C. 10. de V. S.* sic: *Judicium est legitima controversia, quæ inter actorem, & reum intercedit, per iudicem cognitio, discussio, at definitio.* Et quidem in hac definitione satis explicantur, & comprehenduntur omnes partes principales judicij: nam per illam vocem *legitima* significatur, quod debet servari juris ordo à Legibus prescriptus; per illas voces *discussio, & cognitio* significatur accurata inquisitio, & tedulum examen ad definiendam litem per sententiam, quod per ultimam vocem significatur. Etiam comprehenduntur persona, quibus judicium debet constare: Scilicet, actor, reus, & iudex. *C. 10. de V. S.* Etiam constituntur judicij materia: nam controversia est causa, casus, factum, punctum, materia, negotium, articulus, questio, jurgium, vel lis de qua est ferenda sententia. Questio, quæ in iudicio disceptatur, aliquando pertinet ad factum: v. g. An Titius contraxerit, vel non matrimonium, vel alium

contractum: & tunc dicitur questio facti. Aliquando verò pertinet ad jus: v. g. an tale matrimonium sit validum, vel non, an sit licitum, vel non: an talis contractus sit usurarius, vel non, an sit legitimus, vel non: & dicitur questio juris. Et licet prædicta nomina causæ, controversiæ, negotij, &c. aliquantulum differant. *C. 10. de V. S.* sæpè pro eodem sumuntur. Tempus, intra quod judicium fit, dicitur *Instantia.* Sic prima instantia est illud tempus, quod ab initio judicij, præcipue à litis contestatione usque ad sententiam definitivam currit: & secunda instantia vocatur, quando lis apud iudicem appellationis disceptatur.

2 Actor, sic ab agendo dictus est, qui primus provocat ad judicium. *L. 13. l. 29. ff. b. t. l. 1. tit. 2. p. 3.* adeo ut etiam in iudicio ex *L. Diffamari §. C. de Ingen. manum.* diffamans provocare censetur: ac proinde tanquam actor, diffamatus verò tanquam reus habetur. Etiam in judicij duplicibus, in quibus uterque litigans est actor, & reus, ut in judicij divisorij familiae heriscundæ, communi dividendo, & finium regundorum, ille qui prius ad judicium provocat, actor censetur. *L. 13. ff. b. t.* Ille, qui in causis civilibus actor, in criminalibus accusator dicitur. *L. 10. l. 13. ff. de Public. judic. quasi causator,* quia ad causam vocat cum quem accusat, vel appellat ad judicium. *C. 10. de V. S.* Et loco accusatoris aliquando succedit